



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio V. Quid sit distinctio rationis, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

QVÆSTIO V.

Quid sit distinctio rationis, & quomplex?

SUPPONO distinctionem rationis multifariam vsurpari, tum ab antiquis, tum à modernis, neque in omni sensu in quo accipi potest de illa hic controverti. Primo: ergo aliqua secundum rationem dicuntur differre, quæ habent aliquas, & diversas definitiones essentielles, quo sensu Aristoteles, 1. *Physicorum*, cap. 2. textu 21. dixit album, & musicum, & alia accidentaliter concreta, quæ significant formas accidentales secundum rem distinctas esse vnum subiecto, ratione autem diversa, item in definitionibus vniuocorum, æquivocorum, & analogorum ratio substantiæ loco quidditatis, definitionisque essentialis constituitur, ut late in *logica* explicuimus *tractatu de analogia*: de distinctione ergo rationis hoc modo, & in hac generalitate sumpta non agimus, quia rebus quæ secundum realitatem distinguuntur, conveniunt, ut homini, & equo, qui per diversas essentialiter definitiones definiuntur, nisi restringatur adynam, & eandem rem natam ex se concipi ab intellectu creato per plures inadæquatos conceptus, quorum singuli diversam, secundum rationem, formalitatem explicant.

Secundo distingui ratione dicuntur omnes operationes rationis, & ipsa entia rationis, quia cum opera sint rationis, habentque esse à ratione; per illam etiam distingui dicuntur; hæc autem vsurpatio impropria est, qui de se patet, & constat ex dictis, per se enim notum est inter plures actus vitales mentis esse sint opera rationis intervenire distinctionem realem ex mutua, & reali separabilitate eorum inter se: deinde, de ipsis entibus rationis, seu logicis, seu chimericis constat inter se quasi realiter differre, tum per habitudinem ad conceptus formales secundum rem distinctos, à quibus efformantur, tum etiam, quia ad invicem comparantur, ut si vera entia essent, nataque in rerum natura existere secundum rem distinguerentur, cum vnum ab altero secundum entitates, & existentias commentitias, quibus gaudent de facto mutuo separantur: his positis.

Conclusio: distinctio rationis proprie est illa, cuius totum suum esse habet obiective in intellectu, ita ut ante illius operationem formaliter, & actualiter non sit in rebus, quæ sic distincte denominantur, provt in se existunt, & licet distinctio rationis sic definita possit extendi ad multa alia de quibus hic non loquimur, nihilominus de illa distinctione rationis hic disputamus, ratione cuius eandem entitatem neque res, neque realiter, neque ex natura rei distinctam quasi in plures partimur, ut v. g. distinctio illa qua distinguimus in Deo vnum attributum ab alio, divinitatem à relatione, Deitatem à Deo, distinctio hæc dividitur in distinctionem rationis, ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ.

Distinctio rationis ratiocinatæ est, & dicitur rationis, quia actu, & formaliter non est in rebus: sed per rationem fit, aut excogitatur dividendo ea, quæ in se indivisa sunt, & distinguendo.

R. P. Ildeph. de Peña, Schol. Thom. 1.

do quæ sunt idem sine aliqua distinctione à parte rei; ratiocinatæ vero dicitur, quia non est omnino ex mero opere rationis: sed ex occasione quam res præbet circa quam mens ratiocinetur, unde fundamentum, quod dicitur esse in re ad hanc distinctionem non est vera actualis distinctio inter illas res, quæ sic distingui dicuntur, alias non fundamentum distinctionem, sed distinctio ipsa antecederet realiter; sed esse debet, vel eminentia ipsius rei, quam sic mens distinguit, soletque vocari distinctio realiter virtualis, eminentiæ vel æquivalentiæ, id est quoddam esse æquivalens rebus distinctis, seu quod est virtus multarum actionum, & operationum, vel propter esse eminens, quod habet ratione propria perfectionis, cuius causa licet sit simplex entitas, est tamen capax duorum prædicatorum, vnum quod sit negativum, & alterum positivum, vel denique habitudo aliqua ad res alias vere, & in re ipsa distinctas, penes quas distinctio talis excogitatur, seu concipitur, hoc autem fundamentum, aut hæc virtualis distinctio realiter est sine fictione, quia realiter datur illa eminentia, seu virtus, & capacitas duorum prædicatorum, quasi se ad invicem contradicentium, v. g. in entitate simplicissima Dei datur capacitas convenientiæ, & non convenientiæ respectu creaturæ & eadem entitas indivisibilis, quæ intellectus, & voluntas divina est, dicitur quod generet in quantum intellectus, & quod non generet in quantum voluntas, & hoc provenit propter distinctionem fundamentalem, vel virtutalem, vel æquivalentiæ, quæ à parte rei, & realiter datur sine fictione, quod adeo verum est, ut oppositum affirmare sit mera ignorantia terminorum; unde hæc distinctio virtualis realiter reperta in rebus, est fundamentum realiter distinctionis formalis, & actualis rationis ratiocinatæ, id est illius, quæ potest fieri per rationem, quæ distinctio fit per conceptus inadæquatos eiusdem rei, nam licet per utrumque eadem res concipiatur, per neutrum tamen exacte concipitur, secundum totum id, quod est in re, neque exauritur tota quidditas, & ratio obiectiva eius, quod sæpe fit concipiendo rem illam per habitudinem ut diximus, ad res divinas, vel ad modum illarum, & ideo talis distinctio semper habet fundamentum in re, formaliter autem dicitur fieri per intellectum, & per conceptus inadæquatos eiusdem rei; sic distinguimus in Deo iustitiam à misericordia, intellectum à voluntate, quia non concipimus simplicissimam virtutem Dei, provt in se est, & secundum totam vim suam, sed conceptibus partimur in ordine ad diversos effectus, vel productiones, quarum est principium illa eminens virtus Dei, aut in ordine ad diversa prædicata illam simplicissimam entitatem divinam quæ in se indivisibilis, & simplicissima est, aut etiam per proportionem ad diversas virtutes, quas in creaturis invenimus distinctas, & eminentissimo modo inveniuntur identificatæ in simplicissima virtute Dei propter illam eminentiam, quæ ex eo, quod fundamentum est distinctionis per intellectum, vocatur distinctio realis virtualis, realiter æquivalentiæ, vel fundamentaliter, & quia etiam est fundamentum separandi vnum attributum ab alio per intellectum dividendi personalitatem à divinitate, vocatur etiam realiter virtualis, seu fundamentalis separatio, divisio, & multiplicatio, ut loquitur D. Thom. cum com-

muni sensu DD. 1. peract. de attributis divinis, & tractat. de Trinit. quem sequuntur P. Valq. quest. 28. disp. 12. & disp. 17. ubi ait expresse non posse aliter loqui P. Suarez, in metaph. tract. de praei-
sione entis.

Huius distinctionis rationis ratiocinatae triplex est gradus, primus est imperfectissimus, quando duplici conceptu percipitur eadem perfectio vno clare, & expresse, & altero confuse, & implicite, qualiter distinguuntur definitio, & eius definitum, ad quem gradum distinctionis sufficiens fundamento ea rei fecunditas, quae vno conceptu simplici non possit, tam clare, & perfecte declarari, quod fundamentum semper reperitur in omni re, & definiti potest; nam semper definitio clarior est definito suo, & proinde ab illo distinguitur penes clarum, & obscurum, implicitum, & explicitum.

Secundus gradus est quando duplici conceptu percipiuntur duae perfectiones, mutuo tamen se includentes essentialiter qualiter distinguuntur diversa attributa, ut sapientia, & bonitas inter se, secundum probabiliorum modum loquendi; nam sapientia divina essentialiter est bonitas, & bonitas divina essentialiter est sapientia, ad quem gradum distinctionis reducitur distinctio entis in communi à suis inferioribus, quia quamvis ens non includat essentialiter inferiora, includitur tamen ab illis, & ad hunc gradum distinctionis sufficiens fundamentum est, quod similes perfectiones in creaturis, semper distinguuntur realiter, de quo modo loquendi adhuc sub iudice lis est, de quo postea disceptabitur, ratione cuius solet à multis asserere intellectum, & voluntatem in Deo distinguuntur ratione ratiocinata. Propterea quod intellectus, & voluntas hominum, & Angelorum necessario semper, & inter se distinguuntur realiter.

Tertius denique gradus distinctionis ratiocinatae reperitur interea, quae important diversas perfectiones ab intellectu distinctas, ita ut neutra includat essentialiter alteram, & in hoc sensu distinguuntur genus, & differentia, animal videlicet, & rationale; ex quibus, nec animal includit essentialiter rationale, nec rationale animal, ad quem gradum sufficiens fundamentum est eminentia eiusdem simplicis entitatis, ratione cuius cum alia conveniat, & ab ea differat, ita ut illa ratio conveniendi sit omnino aequalis absque essentiali inclusione ad invicem; alias species distinctionis rationis ratiocinatae possumus annu-
merare, inter quas duae dantur praecipuae distinctiones, nimirum excludentis ab excluso, & includentis ab incluso; distinctione excludentis ab excluso, distinguuntur diversae formalitates reperi-
tae in vna, & eadem re, terminantesque diversos conceptus formales mentis, quarum quaelibet secundum formalitatem, quam importat, & ut terminat diversum conceptum formalem, non includitur in altera, hoc pacto distinguuntur per mentem ratio specifica, & individualis; deinde distinctio rationis excludentis ab excluso alia est rei excludentis à re exclusa per rationem, alia rei à modo; primo modo distinguuntur rationale, & animal; secundo vero relatio, & eius fundamentum, unde sicut ea quae inter se non distinguuntur realiter, ut res à re, sed solum modaliter absolute dicuntur non esse distincta secundum rem, ita similiter ea, quae ratione distinguuntur distinctione simili, distinctione modali, absolute etiam

appellari possunt indistincta secundum rationem, esto modus iste loquendi non sit communis, & receptus, & aequivocationem confusionemque parere possit. Dixi secundo modo per rationem distinguuntur relatio, & eius fundamentum, si loquamur in sententia eorum qui asserunt relationem identificari à parte rei cum suo fundamento, in nostra autem sententia aliter loquendum est, nos enim asserimus relationem ex natura rei modaliter distinguuntur à suo fundamento.

Rogas an haec distinctio subdividi possit in distinctionem se totis obiective, & in distinctionem se totis subiective? Respondeo affirmative, quia imprimis diversae formalitates, seu conceptus obiectivi fundati in vna, & eadem re, si neuter sit de conceptu quidditativo alterius, se totis per rationem differunt, secundum formalitates obiectivas, & in sententia probabilium, multorum Theologorum gratia à charitate supernaturali, non res, sed solum ratione distinguitur, & tamen secundum illos gratia, quae gratia est, recipitur in animo, & quae charitas in voluntate; unde gratia, & charitas non solum differunt secundum hanc sententiam se totis obiective, sed etiam se totis subiective.

Deinde dico distinctionem rationis includentis ab incluso, esse in duplici differentia; prima, & propriissima intercedit inter duos conceptus, quorum primus, & superior continetur actu, & essentialiter in conceptu inferioris, ut conceptus entis in conceptu substantiae, & perfectitatis; conceptus item naturae divinae in conceptibus relationum personalium, non tamen è contra; Secunda vero reperitur in alijs conceptibus, qui licet inter se differant secundum diversas rationes, quas connotant, seu exprimunt, tamen quilibet est de formalitate, & quidditate alterius, ita distinguuntur inter se, ut diximus supra attributa divinis, & à natura vocaturque haec distinctio, ut à prima differat distinctio penes implicitum, & explicitum, quia quilibet conceptus obiectivus alterum essentialiter claudit in se, esto per conceptum formalem expresse, non representetur conceptus actu contentus, & inclusus, alio modo potest esse distinctio includentis ab incluso, v.g. inter partem, & totum Metaphysicum, ut inter hominem, & animal, animal enim est pars constitutiva hominis metaphysice, homo autem est totum compositum ab animali, & rationali tantum à partibus per rationem, quia autem totum compositum includit unamquamque partem in suo conceptu, & supra illam addit aliam, ideo dicimus distinguuntur à quacunque illarum distinctione rationis includentis ab incluso.

Distinctio rationis ratiocinantis est, quae non habet fundamentum in re, & dicitur rationis ratiocinantis, quia oritur solum ex fictione, & negotiatione intellectus, ut ait Scotus in 1. d. 2. q. 7. haec igitur distinctio fit in ordine ad eundem conceptum adaequatum, & simplicem eiusdem rei, solum per quandam repetitionem, vel comparisonem eius quae in mente fit, sic enim distinguitur Petrus à seipso, vel in ratione subiecti, & praedicati, quando de seipso enuntiatur, vel in ratione termini, & subiecti relationis, quando idem sibi, vel ad se refertur, in his enim, & similibus distinctionibus rationis idem est atque integer conceptus Petri, solumque fit quaedam repetitio eiusdem sub eodem nomine, & comparatio eiusdem ad se ipsum sub eodem signo.

Distinctio

Quæst. V. Quid sit distinctio rationis. 371

10 Distinctio rationis ratiocinantis non potest dividi in tot species, in quot divisa est distinctio rationis ratiocinata, sed necessario omnis distinctio rationis ratiocinantis ex parte diversorum entium rationis, vel denominationum, quas supponit, est distinctio excludentis rei ab exclusa re, esto ex parte rei, quam denominant, & afficiunt, habeant unitatem subiectivam in sensu quo Aristoteles dixit album, & musicum esse unum subiecto. ratione tamen diversa, & ex parte rationis communis, sub qua sunt unitatem obiectivam.



QVÆSTIO VI.

Virum fundamentum requisitum, ad distinctionem rationis ratiocinatæ debeat præcedere in ipsa re quæ distinguitur.

SECTIO I.

Argumenta adversaria ponuntur.

1 **E**c quaestio excitatur propter P. Hurtado, & nonnullos nominales, cum quibus ipse, d. 6. mer. sect. 4. in 3. sub sectionibus divisa, latissime conatur ostendere ad distinctionem rationis ratiocinatæ in re ipsa, nunquam nullumque intrinsecum præcedere fundamentum, sed ad diversa solum connotata recurrendum, ut eadem entitas secundum rationem, per distinctionis ratiocinatæ distinguitur, asseritque omnem distinctionem rationis solum esse subiectivam in intellectu, in re tamen quæ per illam distinguitur solum extrinsecè, & per denominationem à ratione.

2 Primum illius argumentum desumitur à D. Th. opus 9. q. 1. ubi expressis verbis ait, attributa divina differre ratione, ea solum de causa, quia cum in re idem sint, à nobis tamen sub diversis conceptibus formalibus præsentantur: ergo distinctio tota rationis est solum penes conceptus nostros formales, in obiectivis vero dumtaxat extrinsecè, quatenus illos terminant.

3 Secundo, ubi non est aliquid, per quod aliud sit formaliter distinctum, non est distinctio formalis: sed ratio distinguens formaliter distinctiones rationis ratiocinatæ, est in intellectu solum subiectivè, cum sit ens rationis, & non in re, quæ per illam distinguitur: ergo distinctio formalis secundum rationem, solum est in intellectu, & non in re, quæ per illam distinguitur.

4 Confirmatur, distinctio formalis est distinctio plurium formalitatum; atqui si in rebus, quia gradus repetit in eadem entitate à parte rei non solum identificantur inter se realiter, sed etiam formaliter.

5 Tercio, si in re ipsa præcederet intrinsecum fundamentum, seu virtualis distinctio rationis ratiocinatæ, haberet in re ipsa animal, v. g. existens in homine antequam cognosceretur ex parte sui per quod formaliter esset aliud, à rationali: at ex parte sui illud non haberet antequam cognosceretur: ergo. Minor recipitur ab Authoribus contrariæ sententiæ inferius referendæ; alioquin manus darent Scotistis conantibus in rebus ante omnem
R. P. Idesp. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

mentis considerationem formalitates dari mutuo distinctas. Maior vero ita probatur, quia fundamentum illud, seu virtualis distinctio esset causa, quare animal ex parte sui conciperetur aliud formaliter à rationali: ergo ex parte sui animal haberet aliquid antequam cognosceretur ratione cuius esset aliud formaliter à rationali. Probatur consequentia, quia haberet illam virtutalem distinctionem à rationali, antequam cognosceretur.

Si respondeas illam virtutalem distinctionem esse solum fundamentum, ut per rationem solum conciperetur animal aliud formaliter à rationali.

Opponit idem P. Hurtad. & sit 4. Argumentum in ordine esse fundamentaliter aliud, nihil aliud est quam esse fundamentum, ut cognitio attingat ex parte obiecti unum absque alio; atqui repugnat tale fundamentum, si in re ipsa non sit aliud, & aliud formaliter, quia ubi non est aliud, & aliud ex parte obiecti, non potest fundari cognitio aliud sine alio, quia obiectum non fundat cognitionem eorum quæ non sunt in ipso; ergo vel dicendum est ex parte animalis antequam cognosceretur non esse fundamentum, ut conciperetur aliud à rationali vel Scotistarum factioni concedendum.

Quinto, vel cognitio præcisa terminata immediate ad animal in homine, terminatur etiam immediate ad rationale, vel solum immediate ad animal, & minime ad rationale; si primum: ergo ex parte animalis hominis nihil est ratione cuius conciperetur aliud formaliter à rationali per mentem, siquidem cognitio præcisa illius, tam immediate terminatur ad rationale, quam ad ipsum animal; si secundum: ergo animal, & rationale in homine distinguntur à parte rei. Paret consequentia primo, quia inde conveniret à parte rei prædicatum aliquid uni, quod alteri non conveniret, quod in creatis est magnum distinctionis signum.

Secundo, quia cognitio se tenens in intellectu non attingit formaliter rationale, & attingit formaliter animal: ergo non solum est diversitas in cognitione ipsa: sed etiam in obiecto cognito, atque adeo realis.

Sexta sententia constituens in re virtutalem seu fundamentalem distinctionem solum voce, ab Scotistarum sententia discrepat, quamquam vocanti illi formalem actualem, & ex natura rei distinctionem isti appellant virtutalem, & fundamentalem; atqui distinctio Scotistarum communiter exploditur: ergo, & distinctio virtualis, & fundamentalis in re ipsa.

Secunda sententia asserit omnem distinctionem rationis tam ratiocinantis quam ratiocinatæ, petere pro fundamento distinctionem realem formalem; unde omnis distinctio petit necessario quod petat tanquam motivum altera distinctio realis; hanc sententiam sequuntur multi, sic Gerard. Senens. in 1. d. 2. quæst. 2. art. 3. & 4. Durandus. in 1. dist. 2. quæst. 3. art. 15. Herbeus q. 3. art. 3. in 3. opin. Zumel, 1. part. quæst. 28. art. 2. q. 2. ad dubia parva, P. Valq. 1. parte dist. 17. cap. 3. n. 8. & 9.

Probatur primo, sicut se habet ens ad ens reale, ita distinctio rationis ad distinctionem realem: sed ens rationis habet ortum ab ente reali: ergo distinctio rationis à distinctione reali: ergo nunquam causabitur, nisi cum habitudine ad ea, quæ distinguntur realiter.

Aaa 2 Confir